



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCI. Otto und Konrad, Markgrafen von Brandenburg, schenken den
Mönchen in Colpin die Pfarre zu Petersdorf unter der Bedingung, die
Gedächtnißfeier ihres Bruders Johann, so wie der Markgräfin ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CCI. Otto und Konrad, Markgrafen von Brandenburg, schenken den Mönchen in Colpin die Pfarre zu Petersdorf unter der Bedingung, die Gedächtnißfeier ihres Bruders Johann, so wie der Markgräfin Constantia, Prinzessin von Polen, alljährlich zu begehen, am 30. October 1281.

In nomine sancte et individue trinitatis Amen. Otto et Conradus, dei gracia Brandenburgenses marchiones, omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem inperpetuum. Quoniam omnes stabimus ante tribunal Cristi, recepturi prout in corpore gesimus, siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire, Quatenus seminemus in terris, quod annuente domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis. Hinc est, quod notum esse cupimus, tam futuris quam presentibus. Quod pia dei moti misericordia, eterne cupientes prouidere messionis semini, quod qui defecit in semine in messe aliquatenus non gaudebit, fratribus de sancto victore, in colpino degentibus, ecclesiam parochialem ville peterstorp cum suis attinenciis dedimus, vt cum XXⁱⁱ mansis, quos dederamus eidem in colpino prehabito, cum omni iure totaliter proprietatis tytulo possideant eternali, hoc solum condicto, quod in prefato colpino qui celebrent cottidie pro nostris progenitoribus, pro nobis quoque et nostris successoribus vniuersis, specialiter pro fratre nostro Johanne defuncto, pie memorie, Insuper et domina constantia polonicali, tres vel quatuor habeant sacerdotes, qui eciam per vnum eorum parochialem ecclesiam officient antedictam. Hoc autem fecimus sperantes seminando taliter fructum exinde consequi sempiternum. Huius rei testes sunt milites nostri Bertheramus de benz, Johannes de Griphenberg, Johannes de oldenulete, Johannes de plouen Dapifer, Georgius de brewiz pincerna et alii fide digni. Ne vero tam pia et rationabilis nostra donacio a nostris aliquando irritetur successoribus, presentem iussimus conscribi paginam, quam ad maioris euidentie cautelam dedimus pretaxatis fratribus sigillorum nostrorum munimine roboratam. Actum Nyendorpe in terra iuxta Zvet, Anno domini M^o. CCLXXXI^o., tercio kalendas nouembris. Datum ibidem per manum domini Meynardi, nostri notarii et capellani.

Aus der Matrifel des Klosters Jansen im K. Provinzial-Archive zu Stettin, mitgetheilt vom K. Archivar Baron von Medem.

CCII. Albert, Markgraf von Brandenburg, vereignet dem Nonnenkloster Dobbertin die Dörfer Swertze, Zetim und Dymiz, am 21. Januar 1282.

In nomine Domini Amen. Nos Albertus, Dei gratia marchio Brandenburgensis, omnibus in perpetuum. Noverint vniuersi et singuli, tam futuri temporis quam presentis, quod ob reverenciam Domini nostri Jesu Christi et sue pie matris Marie virginis gloriose, ecclesie Sanctimonialium in Dobbertin, Ordinis S. Benedicti, proprietatem villarum Swertze et Zetim, cum iure patronatus, ac eciam villam Dymiz, quam Wolterus dictus de Malchowe miles vendidit pro trecentis marcis denariorum ecclesie memorate,